



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Qvæstio III. An liceat maleficij signum destruere, vt diabolus nocere
desinat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

tunc habent pro iudicio certo, quod sint malefici. Liceret tamen iudicibus eas cogera, vt citra maleficium liberare conarentur: sicut licere priuatis iam docui, atque ita intelligendus Brianfonus d. conclusio. 3. Quod si res moram non pateretur, & maleficus non foret persona rudis & idiota, sed satis prudens ad discernendum maleficam curationem à naturali vel diuina: & tunc aliquis simpliciter secutus fuisset sententiam Pet. Ledesimij sup. credidissetque dicenti se non vsuram vllò maleficio, non auderem damnare post factum: sed ante factum: semper vtendum puto consilio & examine quod dixi. Reuera enim qui non examinat, neque interrogat, neque protestatur, neque aliam adhibet cautionem vt intelligat, an remedium quod adhibebitur sit legitimum, an illicitum: is non videtur facere: quod in se est, sed obijcere se temere periculo peccandi: quia nouo periculo peccandi obijcit rudem illam & idiotam & peccatricem animam.

QVÆSTIO III.

An liceat maleficij signum destruere, vt diabolus nocere desinat?

NOTA primo signa malefici vocari, ollas, ligamina, claustra, plumas, liberides, & similia: quæ, ex pacto cum demone inito, magus adhibuit vt aliquis maleficio lædatur: pactum vero esse solet, vt quamdiu ligula sic nodata fuerit, vel tale quid sub limine defossum, vel sera clausa manserit: tamdiu talis persona sit maleficiata: aut moriantur, qui in tali loco erunt, aut intrabunt vel exhibunt, & huiusmodi: de quibus actum lib. 3. Porro de ligaminibus &

A ollis, res notior est: de sera legi apud auctorem innominatum libr. pœnitentialis à Rectore & Academia Colonienfi ante annos centum approbati, & excusi: capit. 70. quod est impotentia coeundi: Parisijs (ait) contigit, quod quadam fortioria virum, qui eam reliquerat impediuit, ne posset cognoscere aliam, quam legitime superduxit. fecerat enim incantationem suam super clausam seram, quam in puteum quendam misit, & clauem similiter in puteum alterum, & sic diabolo promouente vr. ille factus est impotens cum vxore sua.] Quæritur ergo V. liceat aperiendo claustrum, comburendo capillorum glomum, soluendo ligula nodum, vel effodiendo ollam, & exurendo quæ in illa habentur, aut similia remouendo, perdendoque maleficium destruere, & liberare maleficiatum?

B Dux de hac re sunt sententiæ. vna, nullius quod sciam in libris editis, in quibus nondum mihi contigit inuenire: sed nostris temporibus Ioann. Hesselius à Louanio, in prælectione lib. 4. sent. docuit nullomodo licere, hoc haud dubie pio docuit animo, & vt homines à maleficio abstereret: quam tamen prudenter & vere, manifestum spero fore exijs quæ hac quæstione disserentur. multi ex eius discipulis, rem non multum discutientes, neque auctores alios curantes, Pythagoræorum more, vt oraculum exceperunt: neque in scholis tantum docuere, sed in concionibus a deo nonnunquam calide: vt contra sentientes damnare, & etiam pœnis Ecclesiasticis coercere, sint conati: non modicam scrupulorum carnificinam etiam pijs & bonis, iniicientes, hoc ergo diligentius res discutienda, quam cum superioribus annis docerem, ideo breuiter perstrinxi, quod tum nescire aliquem ex doctioribus communem sententiam, quam amplectebam & amplector, probare.

C

D

E

§. 1. Hæſelij & diſcipulorum eius A
argumenta fuere. primo, cum ſignum
amouetur: ſanitas exſpectatur non à
Deo vel ſanctis, per miraculum: nec ab
humana voluntate nec à cauſa natura-
li. ergo à diabolo. Sed hoc eſt ſuperſti-
tioſum. ergo non licet amouere.

2. Qui ſignum tollit ea ſpe, vt nocu-
mentum ceſſet, miſcet ſe pacto, quod
malefico cum diabolo intercedit, quia
diabolus cum malefico pactus eſt, vt
ſigno poſito ipſe noceat, ſigno remoto
nocere deſinat. ergo talis ſocietatem
quandam cum diabolo inſit, cui con-
iungitur, & communicat in pacto con-
uento eius.

3. Amouere ſignum, eſt colere dia-
bolum, quia eſt proteſtari, quod poſſit
nocere quibus & quâdo voluerit. quali
ab alio non pendeat. item quod ſit fi-
delis & verax, qui pactum ſeruet cum
ſuis: ſed diabolus honorare vel colere
non licet. ergo nec amouere ſignum li-
cebit.

4. Nô licet declinare ad magos, vt ſcri-
pturâ docent: ſed quia amouet ſignum,
declinat ad magos. ergo. Min. proba-
tur, quia petit à malefico vt ſigna tol-
lat, vel vt ſibi tollenda oſtendat.

5. Qui amouet ſigna oſtendit ſe male-
ficos & dæmonem timere: ſed S. S. iu-
bet nos ſolum Deum timere.

6 Non tantum res quæ ponitur vel
amouetur eſt ſignum diaboli, ſed & a-
ctio circa rem, vt poſitio eius ad noc-
endum, permanentia eius ad nocumendi
perſeuerentiam, amotio eius ad nocu-
menti ceſſationem: ſicut non tantum
aqua eſt Sacramentum Chriſti: ſed &
ablutio per aquam facta. ergo ſicut qui
ponit ſignum exercet ſacramentum
Diaboli, ſic & qui amouet. Exercet e-
nim vterque actionem ad eum effectu
conſequendum, ad quem aliter, non
ualet, niſi ex diaboli inſtitutione.

7. Diabolus nunquam ſponte cella-
bit à nocumento corporali, niſi vt gra-
uius noceat in anima: cum ſit hoſtis no-
ſter capitalis, ſemper cupiēs quâ maxi-
me nocere. ideo, iuxta D. Leonem *be-
neſicia eius cunctis ſunt nocentiora vulneri-
bus*: ergo per ceſſationem nocumendi,
quæ fit amoto ſigno, grauius inſert no-
cumentum vel amouenti, vel malefi-
ciato, vel vtrique.

8. Si licet ſigna maleficij amouere,
vel ad ea implorare opem malefici: igitur
quoties quis maleficiũ patitur,
nec aliud ſuper eſt remediũ quo adiu-
uetur, tenebitur procurare ſigni amo-
tionem: ſicut tenetur homo egrotus li-
cito ac poſſibili remedio procurare, vt
ſanitati reſtituatur: peccaret enim ſi
ſic ſanitatẽ à Deo exſpectaret, vt in-
terim medici conſilia rejceret. At qui
nemo eorum, qui ſunt in contraria o-
pinione hoc docet, videlicet hominem
aliquando ad amouendum vel deſt. u-
endum maleficij ſignum ex conſcientia
obligari.

9. Si id licet, ergo illi recte faciunt,
qui maleficis ad quæſtionem vocatis
abradunt omnes pilos corporis, ne quo
maleficij ſigno corpori ad hærente, red-
dantur inſenſibiles, ideoque ad confeſ-
ſionem cogi non poſſint, quod videtur
ſatis manifeſte ſuperſtitiouſum. Vnde
Franciſc. à Victoria *in rel. c. 12. de arte
magicæ*: li (inquit) ad expulſionem dæ-
monum radunt pilos aut capillos, aut
aliquid eiufmodi: eſt magia manifeſta.
Nam veri ſancti, qui gratiam Dei ha-
bent, nunquam vtuntur talibus riti-
bus aut obſeruationibus.

10. Probari poſſe videtur ex eo, quod
Dominus dicit in Euang. *hoc genus dæ-
monorum non eicitur niſi in oratione &
ieiunio*. ſenſus enim eſt non aliter recte
eijci ergo ſi quis dæmon eiufmodi in-
trat in alquem per maleficiũ, non

licet t

liceret egressum eius procurare per signi amotionem.

11. Probat ex eo quod Hierony. commemorat *in vita S. Hilarii*: ad quem cum adducta esset puella à dæmone obsessa, & dæmon clamaret: se inuitum in puellam ingressum fuisse, utpote vi maleficiorum coactus: nec se posse eam relinquere, nisi prius ablati signis sub limine positis: vetuit vir sanctus signa perquiri, & orationis virtute dæmonem expulit: *ne* (inquit Hierony.) *aut solitu incantationibus recessisse demon videretur, aut ipse sermone eius accommodasse fidem* Jigitur, ex Hieronymi sententia, perquirere & tollere signum, ut nocumentum cesset, ad incantationem pertinet: alioquin ad miraculum diuinum non recte confugisset Hilarii: sed remedium facile ac promptum de signis amouendis, si licitum erat, præscribere debuisset: ne Deum tentare videretur.

12. Adud Gratian. *c. si per sortiarias* 33. qu. 1. ubi enumerantur legitima remediij maleficia, nulla fit mentio requirendi & destruendi signi: nec quisquã alius veterum Ecclesiæ patrum reperitur, qui de remedio hoc tanquam licito loquatur. Si respondeas esse argumentum negatiuum ab auctoritate negata. Vrgent, non esse ab auctoritate negata, sed ab auctoritate negate. quia cum remedium tollendi signi sit facile & cuique obuium, eius maxime mentio fieri debuisset, si licitum illud concilia & patrum decreta censuissent.

13. Diabolus non est alligatus signis: potest enim nocere sine signis, & positus signis liberum illi adhuc est non nocere, ut & à moris adhuc nocere & non detinere. ergo frustra tolluntur signa, nisi pactum malefici & Diaboli intercederet. ergo remouens consentit in hoc pactum.

A 14. Diabolus non potest diutius nec fortius, nec breuius nec lenius hominẽ affligere quam & donec ei Deus permittit, qui pactis huiusmodi astringitur: ergo absurdum est expectare remedium ab huiusmodi remotione signi, aut curare talia diaboli pacta: sed recurrendum est ad Deum, in cuius potestate est Diabolus. His illi argumentis vtuntur, quæ verbis ipsorum retuli: ne quis suspicetur me minus bona fide agere.

B §. II. Nihilominus sit conclusio signa malefici etiam spe cessationis morbi seu mali licet querere & inuenta remouere & tollere. dico, spe cessationis: quia fatentur opinionis contrariæ assertores, in contemptum & deletionem Magiæ superstitionis, ipsiusque Diaboli, licere malefici signa tollere, destruere, atque abolere: immo sanctum id esse, si ex solo odio totius artis, & intentionis Diabolicæ id fiat: sed negant id licere ea spe, & intentione, ut nocumentum cesset. *Notandum primo*, quod omnes fatemur, signi ablationem nullam habere vim naturalem neque supernaturalem mali auferendi seu sanandi: sicut nec eius positio vim vllam huiusmodi habuit, ad malum inferendum. sed sicut, posito signo, dæmon fuit, qui nocumentum intulit: sic ablato signo dæmon est, qui malum aufert, quia cessat nocere. cessat autem, quia sic cum mago pactus fuit: non quod pacto se ligari putet, sed quia hoc sibi iudicat expedire ad animarum perniciem. *Notand. 2.* aliud esse uti peccato alterius ad bonum, aliud cooperari peccato alterius. nam peccato alterius uti possum ad commoditatem meam, quando ille potuit peccatum vitare, & licito modo mihi gratificari, ut dictum de usurario *precedenti questione*, ipsius enim malitia mihi nocere non debet. Cooperari vero peccato al-

terius nunquam licet, quia nunquam peccare licet: cooperor vero, quotiescunque peto ab alio id, quod alias sine peccato nequit præstare. Quando ergo peto vt maleficiũ maleficio, vel nouo pacto inito, tollat: cooperor peccato: quando peto vt id faciat, destruendo signum iam ante initi pacti, seu sine maleficio, & ipse me nolente adhibet nouũ maleficiũ: ego illi nõ cooperor, sed vtor tantũ eius peccato. Est doctrina Soti, & Pet. Ledesm. & aliorum mox citãdorum. *Notãd. 3.* Signũ tolli vel ab ipso qui posuit, vel ab alio qui nõ posuit. Si ab eo qui posuit: vel ille inierat duo pacta cum dæmone vel vnum tantum. duo quidem, quando cõuenerat, vt dæmon permanente signo debeat nocere: & sublato signo teneatur non nocere, nam hic vnum pactum fit depositione signi, alterum de ablatione. Vnum tantum fit, quando simpliciter conuenitur, vt signo permanente teneatur dæmon lædere: huius pacti vis includit, non vt sublato signo teneatur non nocere, sed vt, si velit, possit non nocere. Quando duo sunt pacta, tunc consideranda est duplex, quæ potest accidere, malefici intentio. Si maleficus cum tollit, vult sibi seruari pactum illud secundum, non licet tollere: quia hoc est cõfirmare illud pactum. Si vero maleficus ex pœnitentiã pacti initi motus, vult pactum suum cum dæmone initum cessare: & ideo, vt rescindatur: tollit signũ, quod est pacti vinculum, & tollit non quatenus ablatio signi est signum secundi pacti: sed quatenus est destructio primi pacti, potest tollere, quia sic non confirmat secundum pactum, sed rescindit. Quod si sit alius qui tollit, hic non fecit vllum pactum cum dæmone, nec potest dici confirmare primũ malefici pactum: quia illi non cooperatur. Sed si gnarus secundi pacti quod male-

A ficus fecit, illud tollat, quia vult à maleficio seruari secundum pactũ: ille quantum in se est pactum confirmat, & sic malo cooperatur, quare hoc non licet: si vero vel ignarus vel gnarus, illud tollat duntaxat, vt maleficiũ destruat, vel vt pactum rescindatur, sperans dæmonem libere cessaturum à nocendo: nullo modo cooperatur pacto: nõ primo, quia iuxta illud non operatur: non secundo, quia illud non curat, sed vult factũ suo destruere primum. Denique si vnicum maleficus fecit pactũ, tunc tollendo signum primum pactũ destruitur, nec nouum inicitur, nec ipse maleficus villo modo confirmat, vel operatur ex primo: quare nec ei alius, tollens cooperatur. *Notãd. 4.* si scandalum sequatur, non posse tolli. quare sic ista peragenda, vt scandali occasio iusta detur nulla.

C His positis probatur. i. cõclusio, quia quotquot auctores excusi de hac egerunt quæstione, illi ad vnum omnes, ex quo ea quæstio discuti caput, in hac cõclusione conueniunt: eos autem loqui, de eo qui tpe cessationis signum remouet, clare patet ex verbis & rationibus, quibus vtitur. Ante tempora D. Thomæ, & ipsi D. Tho. ac D. Bonauenturæ, & eorum præceptoribus, puto plane certum fuisse hoc licere: & ideo de hac re nihil expresse proditũ: nisi quod maleficia sine maleficio tolli posse cõsuerint: quod etiam Tho. de Argentina d. 34. & Abul. in 19. c. D. Mar. q. 90. & alij communiter tradiderunt. Quod vero Durand. hoc nõ dixerit parum refert: omisit, quia non habebat, quod ea in re contradiceret D. Thomæ: at cui contradicendum, commentarios suos elucubrauit. Primus quem inuenio ex professo quæstionem discussisse: qui tempore D. Thomæ vixit, Durando prior, est Henricus Goethalzius siue Gandé-

fis, Archidiaconus Tornacensis. hic
 quodlibeto 5. qua. 33. vbi querit, an liceat
 tollere regulam malefici signum? tan-
 dem resoluit his verbis, licet autem per-
 niciosum est operibus superstitiosis com-
 municare, aut facere talia, qualia faci-
 unt superstitiosi communicando operibus
 demonum. Catholicum tamen est destru-
 ere opus superstitiosum demonum, & in hoc
 ei contrariari. Et sic dico, quod licitum
 est maleficium deponere simpliciter, quem-
 admodum licitum est idolothytum in cloa-
 cam projicere: & etiam vt curetur infir-
 mus maleficiatus (ecce, quod sub hac spe)
 non credendo quod virtute illius malefi-
 cij morbus ille contingat (hoc enim crede-
 re infidelitatis esset) vt procedit prima
 obiectio: sed credendo contrarium, &
 quod fiat sola demonum actione, ex diui-
 na permissione: qui non consueuerunt se-
 cundum passionem suam maleficium
 vexare, nisi stante illo maleficio. Hæc ille:
 sequitur, eum, more suo non nomi-
 nans Scotus, & ipse aliquot annis anti-
 quior Durando his verbis: si per oratio-
 nes sanctorum impediatur virtus damo-
 nu, bene fit, si tamen Deus illas non exaudi-
 at, tunc si ferretur maleficium & destru-
 eretur, demon non fatigaret eum amplius,
 quia ex pacto non assistit: nisi dum du-
 rat aliquid signum. Et ex hoc patet quod
 trufatica est illa quaestio, an liceat tollere
 maleficium intentione curandi malefi-
 ciatum? non enim solum licet sed est me-
 ritorium, destruere opera diaboli, nec in
 hoc est aliqua infidelitas, quia destruens
 non acquiescit operibus malignis: sed
 credit demonem posse & velle fatigare,
 dum tale signum durat, & destructio talis
 signi imponit finem tali vexationi.] vi-
 des à Scoto hoc meritum centeri,
 quem discipuli eius ad vnum sequun-
 tur, vt nominatim Ioan. de Bassolis i-
 bidem q. 1. qui etiam expresse addit
 meritum esse si fiat cum intentione curan-

A di: & sic etiam Anton. And. in 4. d. 34.
 in fin. sequitur Nicoll. Vorillon. ibid.
 & Nicol. de Orbellis ibid. & Guido
 Briançonus b. & Iosephus Angles, &
 Alph. à Castro libro primo de iust. heret.
 punit. capite decimo quinto. & Pelbert.
 Temesuar. Rosary p. 4. vers. matrimo-
 nium. §. 38. Est etiam hæc sententia
 communis Thomistarum, vt Caietan.
 tract. 12. tom. 2. vbi ait: duobus modis con-
 tingit maleficium à maleficio solui: primo per
 simplicem dissolutionem seu destructionem
 malefici, y prius facti, puta dissoluendo liga-
 turam capillorum cum amulo ligneo, &c.
 & hoc absque dubio licitum est, nec est opus
 malefici, vt maleficus est, sed hominis scientis
 impedimentum boni proximi sui, quia nulla
 hic euenit inuocatio demonum, sed sola disso-
 lutio signi: quo durante diabolus statuerat
 malum alterius continuare. 2. per inuocatio-
 nem demonum, seu aliud maleficium, & hoc
 proculdubio peccatum est mortale. Hæc ille.
 C vides Caietan. hoc definire, vt indubi-
 tatum idem volunt Siluest. verb. male-
 ficium q. 7. & 8. Tabiena. verb. impedi-
 mentum 12. vers. 9. Fumus v. maleficium
 n. 2. Domin. à Soto. in 4. d. 34. q. 1. a. 3. vbi
 dicit nos posse maleficium rogare, & ab eo
 pecuniam extorquere, vt ligaturas, quas ha-
 bet sepultas, aut suspensas aut alicubi as-
 seruatas, illinc dimoueat: quia illud ma-
 leficium facere virtus est: & quicumque sci-
 ret vbi sunt posset illas inde subtrahere,
 &c. idem asserit addens meritum id
 esse Barthol. Ledesmius de Sacramento
 matrimonij difficul. 49. & eiusdem infli-
 tuti ac nominis recentior Pet. Ledesm.
 in 3. p. quaestio. 58. a. 2. d. 2. Henric. Hé-
 ricquez lib. 12. de Sacram. cap. 8. numer.
 3. Consentunt Nominales, vt Gabr. l.
 in 2. d. 8. quaestio. 2. a. 4. & Aureolus in
 4. d. 34. Consentunt etiam Summi-
 tæ vnanimiter Silu. Tabie. & Fumus sup.
 Ang. in ver. super. §. 13. Rosell. v. impedi-
 mentum v. 13. Caiet. in v. maleficium & la-

b in 4. qu.
 13. c6cl. 13
 e q. de ar-
 te magica
 1. 6. diffi-
 cul. 2.
 dicit in 4.
 q. de im-
 pedim.
 narr. ar. 2

cob. de Grassius in decis. aureis. c. de male-
ficio. Quinetiam Francis, Zammarinus
beneficiatus Lateranens. Ecclesie, in
thesauro Sacerdotali, quem collegit se-
cundum consuetudinem ac ritus S. Eccles.
Rom. p. 1. titul. de exorcismis capite secundo.
quod est de maleficijs, hoc non tantum
dicit licere, sed quasi necessarium
& rituale præscribit, his verbis: adiungo,
quod illa ossa & penna inserta vna in alia:
& multa, & quasi infinita talia, qua in le-
ctis inueniuntur à demone deporta-
ta: sicut clare fuit deprehensum, sunt
extrahenda, & igne comburenda, dum
dicitur Psalmus: Exurgat. Nec sequenda
est illa superstitio, quam vulgus ponit, de
mittendis talibus rebus inuentis ad flu-
uium currentem, &c. sic ille folio 180.
col. 4. consentit Zacha. Viccomes p.
1. complementi Arti exorcif. doctri.
vlr. Idem noster Leonardus Lessius de
iulli. hanc quæstionem accurate per-
tractans, cuius scriptis adiutum me,
hac in disputatione fateor, vt & Bel-
larmini. Consentiunt Iuristæ, non tan-
tum qui tenent posse tolli maleficium,
quos supra citauimus. sed & qui reiiciunt,
vt Turrecrem. in d. c. mouet. te. Nau. in
Mann. c. 11. n. 29. & Pet. Binsf. in l. eorum
qu. 5. C. de malef. & mathem. Inquisito-
res quoque Germani, Spreng. in malleo,
& Nider. in Fornicario. supra citati, &
Ioan. Chappesuille Vicarius & Inquisitor
Leodienf. in tract. de casib. reseruat. is.

Vnde patet hanc esse sententiam
 plane communem. Hispanorum, Ger-
 manorum, Italorum, Gallorum, Bri-
 tannorumque Theologorum quidem
 Scolaſticorum omnium, Nomina-
 lium, Scotistarum Thomistarum: ex
 quibus multi Cardinales & Episcopi
 & Magistri Sacri Palatii fuere, ceteri
 dignitatibus alijs, aut eruditione sal-
 tem, & pietate conspicui. Quare cum
 sit incredibile, tot academiarum præ-

A cipuarum professores, in hoc dogmate
 ad mores pertinente, vsque ad Hesse-
 lium errasse: & hodie quoque errare,
 tum in lectionibus publicis, tum in
 confessionibus audiendis, tum in ipsa
 praxi quotidiana, idque errore tam
 periculoso: sane non videntur carere
 temeritate, qui hos omnes incitiæ &
 erroris condemnare audent: & puni-
 endos putant: quotquot, sola etiam
 auctoritate talium adducti, maleficij
 B signa remouerunt. Accedit, quod au-
 thoritatem hanc rationes validissima
 comitantur: quibus contrariæ opinio-
 nis defensores nondum satis efficaciter
 responderunt.

Probatum primum, hæc sententia ex-
 emplis illis superiore capite narrati
 Bea. Godoleuæ, & B. Theodori archi-
 mandritæ. & quodam quod Ill. Cardi-
 nalis ex Societat nostra Rob. Bellar-
 min. in publicis prælectionibus narrauit,
 cum ante multos annos Louanij sen-
 tentiam illam Hesselij solide; sed breui-
 ter refelleret, cuius dicta huic disputa-
 C tioni inserui. Concionator (verbis eius v-
 *) quidam Prædicatorum: quod me pue-
 rum vidisse memini: in monte Policiano in

XL. cum vellet concionari, loqui non potuit.
 accidit id secundo & tertio. videns id non
 esse rem naturalem, in concione tantum
 sibi vocem præcludi: votum vouit Sanctæ
 D Agneti, qua erat loci patrona: inuenitque si-
 gna in suggestu, capillos inter se ligatos, &
 similia. comburit ergo illa, & vox ei resti-
 tuitur. concionem posse habuit.] Quod
 si peccatum hoc fuisset, Deus à Pio
 concionatore inuocatus, & voto so-
 licitatus eum non sanasset: neque si-
 gna illi ostendisset, quæ tollere non
 E liceret. his accedat simile aliud conte-
 statum. Anno 1589. Genua adolescens qui-
 dam pius, ex impr. pectus, ita effuse
 in amorem mulieris carisset, vt diuinum ex-
 cluserit: mittebantur vltro curæ, munera,

Et furtiva littera, idque trimestri spatio. Post quod is graui morbo afflictus decubuit. Mirum certe, quam immundas sordes, & varias ante oras astantium euomerit: muliebres crines, obuium villos, linum, bombycem, crinales acui, & sutorias, vnguium sequina, osium fragmina, & ferramentorum, non paruo numero, vna cum sanguine. Quidam e nostris hortatur eum, ne amplius illigari se patiatur amore ne pestifero. Quare deinde, num qua essent ab eo munerata littera? litteras acceptas aiebat, sed deinde laceratas: nos ter non credens, admonet familiares, vt eius arculam scruiantur, & si quid sit amatorium, tollant. Eares cum agro occulte voce quadam innotuisset, arcule clauem horrendis clamoribus postulat, & acceptam eadem voce admonente, iniecit in os voratus, nisi prohibitus fuisset: eam puluino supponit oculorum vsu amittere admonet mater, vt doctus malo reddat clauem: eam cum querens non inueniret, furto ablatam credidit: tunc incipit magu vociferari, nec tamen reperta in toto lectulo diligenter excusso: vt tandem cum arcula esset resereta, bina littera amatoria inuenta, & igni tradita sunt, quo facto restitutus ei sensus videndi, & clauis non sine admiratione apparuit ante oculos querentis exposita. Melius inter ea haberi cepit & corpore & animo, & paulo post sanus omnino factus est.]

Hæc Fran. Bencij nostri verbis per scripta, & Romæ excusa in. anni illius litteris descripta. facile videri hic vnusquisque signum maleficij litteras fuisse; quod ne tolleretur dæmonem conatū: eoque amoto & cremato, nocere desisset. Sprengerus p. 2. Mall. quest. 1. cap. 1. narrat historiam sequentem.

Comes quidam præclarus genere VVe-straensis territorij in confinibus Argentinensis diocesis iuuenulam simili genere

A) præclaram duxit uxorem: quam tamen post celebratas nuptias, vsque ad tertium annum, carnaliter cognoscere non poterat maleficali impedimento, vt rei probauit euentus, impeditus: anxius, & quid ageret ignorans, & sanctos Dei iugiter interpellans. Accidit, vt ad ciuitatem Merensem, ob negotiorum quorundam expeditionem, applicaret: in qua, dum per vicos & plateas seruius & familiam allatus incederet, quandam mulierem, qua ante illos annos concubina sua fuerat, obuiam habuit: qua visa, dum super maleficia sibi illata minime cogitaret: improuise eam blande, ex amicitia contracta antiquitus, alloquitur: & qualiter se haberet, vt valeret, inuestigat. At illa cernens Comitum pietatem, vice versa, de valetudine sui corporis & status, diligenter inuestigauit. quo respondente, quod bene & prospere cuncta sibi succederent, illa attonita paulum siluit. & Comes cernens illam attonitam, amplius verbis blandis eam aggreditur, ad collationem inuitando. At illa de statu vxoris interrogando simile responsum accipit, quod bene in omnibus se haberet. Tum illa ane pueros etiam generasset, inquisit. Et Comes, tres mihi (ait) sunt pueri masculi, quolibet anno vnus genuit. Tum amplius illa stupefacta paululum siluit. Et Comes, rogo te carissima, cur tam diligenter inquiris? Indica, nec enim dubito, quin me a felicitate congratuleris. Tum illa, vere congratulor, sed maledicatur illa verula: qua obrulit se velle corpus vestrum maleficiare, vt carnalem actum cum vxore vestra minime haberetis. In cuius signum putus, qui est in medio curia vestra, continet infundum ollam, certas res maleficiales continentem: qua ea de causa ibidem posita fuit, vt quamdiu ibidem contineretur, tandiu cocundi impotentia vobis adesset: sed ecce omnia vana sunt de quibus gaudeo, &c. Nec Comes diu distulit, ad domum regressus, puteum exhiberi fecit, ollam reperiri, & cuncta concremando, poten-

Hoc improbum quia mendacium.

tiam illam perditam subito recuperavit.]

Hæc ille .sufficient hæc tria exempla certissima in diuersis maleficij generib:& quod ad tertium istud, posset quis suspicari continuas ad Dei sanctos preces, vt hæc ei rei bene gerendæ occasio fortuita offerretur, à Deo impetrasse: quamuis quæ hominum incon-sulta est calliditas, media illicita (nempe mendacium) alijs licitis (æquiuoca locutione, & maleficij signi remotioni) miscuerit. Si velis plura vide sup. lib. 3. Par. 1. q. 4. sect. 3. in princ. & sect. 5. litt. C.

Aliud ponit exemplum Cæsalpinus in Disquisit. de damonibus. cap. 17. quod alibi exhibui. Sed plura Bap. Codronchus, cuius hæc sunt verba: Vincentius Carr. rhus. 2. p. de medico & eius officio, meminit cuiusdam sue sororis, qua maleficio affecta inuentu ac crematis saepe maleficij signis veneficis conualuit. Hierony. Mengus scribit quandam nobilissimam viduam veneficio lethali ac insanabili morbo affectam: dum ageret de extrema vnctione instrumentu maleficu combustu, spiritualibusque remedijs adhibitu, quasi repente, omnibus admirantibus recepisse sanitatem. Narrat & quidam auctor de quodam presbytero: qui cum pessime maleficio affectus, plurimus mensibus lecto decubisset, nec innumera remedia à medicis adhibita quicquam ei profuissent, inuentu in lecto plurimis signis veneficis, & combustu: quouis mense luna reuoluta alia & alia diuersa instrumenta reperiebantur, quibus semper igne consumptis Dei auxilio, & Ecclesiasticorum remedijs tandem pristinam sanitatem adeptus est. Amas superioribus Francisca filia mea, decem menses nata, apud nutricem infirmi macie est affecta, saepe ac saepius magna suspiria edebat: & quando defasciabat, semper plorabat, ægreque se ferebat. de-

A fasciari præter puerorum morem, qui quamuis sint male affecti vel dolore aliquo detenti, cum fasciæ soluantur quiescere, ac delectationem tum capere solent. Nulla inuentæ causa præternaturali effectus, nutriceque mutata, cum in deterius laboretur, subiit suspicio vxori meæ, quod, cum esset puella admodum venusta, inuidentiæ causa, vel odio cuiusdam vetula veneficio esse affectam. Quapropter culcitram inquirens, nonnulla veneficij signa repperit: ciceres namque, grana coriandrorum, frustum carbonis, & osis defuncti, rem quandam compactam mihi incognitam, quam fieri ab his improbis faminis ex quibusdam cum sanguine menstruo mixtis retulit quidam peritus exorcista.

Præterea quasdam plumas ita quibusdam filis artificiose insertas, vt pileo, vt moris est, applicari facile possent: quibus omnibus igne benedicto combustis, & adhibitis per triduum exorcismis, & alijs nonnullis remedijs sacris, cepit melius se habere, & carnem assumere: ita vt curatam fore existimarem: nihilominus transactis quibusdam diebus, cum esset valde morosa, & multum ploraret, eodem lectulo denuo explorato, inuenta sunt nonnulla alia instrumenta, quibus crematis sanitati restitui visa est. Attamen in plenilunio mensis, cum plorabunda noctem totam insanam duxisset, mane colore cinereo fuit affecta, & ita mutata facie ab ea, qua vespere erat, vt esset res lacrymis magis quam admiratione digna.

E Explorato denuo lectulo, inuenta sunt frustula duo nucis sicca, & osis alibi, no-uem vel decem ossa piscium, quæ erant fabricata instar pectinum, quibus capita pectuntur, cum quibusdam corollis mira arte ex varijs rebus paratis. Quibus igni traditis, mutata domo, & pluribus alijs, & validioribus per exorcistam peritum

adhibitis

adhibitis auxilijs, Dei beneficio absque vilo remedio naturali conualuit.] Sic ille lib. 1. de morb. venific. cap. 8. Eo lubentius verba adscripsi, quod in ijs quædam notabilia. Primo recurrere malum, de nouo signis positis, & ideo de nouo sæpius ac sæpius tollendum. Secundo ignem benedici, quo res istæ comburendæ, & simul adhiberi exorcismos. Tertio mutatio domus, quæ valde vtilis.

2. Probatur, conclusio communi praxi cunctorum fere vbique etiam bonæ conscientiæ & scientiæ; qui hoc modo maleficiatos sanant; & forte alius modus sanandi, vix vnquam occurrit.

Ex Sprengero & Niderio quædam exempla, lib. 3. retuli, vnum nunc addam, de equo, sic mire magico maleficio cruciatio, & sola nodi solutione sanato, quod narrat, quadam episto. insignis medicus Balduinus Ronseus, his verbis; Lam ad aliud digrediar, quod consulari huic viro contigit, Is in suburbanum profectus, cereus huiusmodi quandam tabernam præteruectus, vidit aliquot multis nominibus sibi addictos; statuit igitur eosdem admonere debiti, atque in persolutum curarent, inuis vocaturum minatur: excusant alij moras, alij quibus ingenium hominis mite prorsus prospectum esset, rogabant aliquantulum temporis concederet, atque inter hoc prorupit quadam toruo vultu, fixis in terram oculis; quæ calcitrantem, cui insidebat equum admiratæ, sicuti videbatur, rogat quonam pergat, atque interim monet, ne quid nimis equo suo consideret. Subridens ille, & quid (inquit) putas mihi incognitam equi huius indestam virtutem, qui eo ad decem & eo amplius miliaria cura vllam defatigationem vis consueverim?

A Respondit illa, vereri tamen se, ne ferendo sit. Vir anilem subesse fabulam suspicatus, subdit equo calcaria, qui præter consuetudinem iam primum ad motum pigrior, progreditur quidem, sed labascentibus quodam modo, ac titubantibus pedibus. Admiratus igitur hanc subitam equi debilitatem, domum redit, equum manu pedetentim ducens, accirque iubet ex tempore Veterinarium, is cum sudore madentem videret equum, rogat num quid defatigatus fuerit, vtrum post diuturnam quietem subito exstimulatus ad cursum, & num à concitatore cursu confestim biberit, & alia huiusmodi, quæ iumentis morborum origo esse solent: & cum nullam euidentem causam ad morbi huius generationem facere animaduerneret, rogat ut sua fidei committeretur equus, pollicetur interim, se suo non defuturum officio, atque omnem moturum lapidem, ut cognito tandem morbo, eidem auxiliares adferat manus. Conceditur Veterinarij fidei equus, atque ad eundem in stabulum deducitur, vbi equus doloris vehementia exagitatus, pedibus humum scalpens, protinus in terram deuoluitur crebra trahens suspiria. Veterinarius consilij pene inops, animo voluens quot quantisque casibus morbofis impetantur equi, venit illi in mentem eosdem, aut propter emphraxim, ut vocant, aut quoties suo tempore locum non reddiderunt, grauissimis subiaccere periculis: experiendum igitur censuit, num quod vitium in ano aut vesica esset, manum ergo anum ingerit, perscrutaturus num qua materia in eo contineretur, quæ huiusmodi accidentia parere posset, consueuerunt namque equi, quibus durior est aluus, & quorum anus scybalis quibusdam præcluditur, ex qualibet causa volutari, ac sudori perfundi: & cum nihil tale reperisset, equi membrum genitale aut penem attricare cepit, quem manu eductum, vidit arctissime, atq; intricatissime colligatum esse: tentat igitur primum nodum vnguibus dis-

soluere

soluere, sed frustra, nexuum enim capita cum occultis essent, obliquisque inuolucris varie inter sese abdita, ferro tantum dissolui poterant. Erat autem nodus hic malefica arte, ut suspicantur omnes, contextus ex cannabii radicibus, in hoc Gordium superans nodum, quod hic ex corni papyri pliocabili, & in omnem partem flexili connexus esset, ille etiam ex ipsa radice dura & ad complicationem rebeli. Nodus igitur dissolutus prostratus protinus equus, atque per lotium maxima copia concreti sanguinis reiecta, conualuit quidem, verum ita ut ad pristinum illum suum vigorem numquam redierit.

Arbitror hanc maleficam, in tempestiua in computatione interpellatoris molestia in bilem prorupisse, & obmurmurato carmine, per dæmonem curasse, equi membrum sic vinciri, idque sentientem equum ita calcitrasse: mox obscenam illam prodijisse in publicum, & quæ narrata miscuisse colloquia. Neque hic vllum erat naturale remedium aliud, quam si nodus ille disseccaretur, sic etiam in maleficio lactis furaculo, non aliud ferè presentaneum occurrit, quam si vtres coriaceos, in prata vel stabula missos, vbi armenta vaccarum degunt; deprehendas, & remoueas, dissecesque. Monet me series epistolæ illius Ronsei, ut adijciam quod ille præcedenti historiæ subiicit: *Quid (air) hic commemorem vtros illos emissitios, ad anatis similitudinem ex corio confectos, quos vulgus, lite latas, vocat, quibus ad emulgendum in pratibus lace vaccis vtuntur? nam quantumuis eosilem hæcenus, pro anili quadam fabula atq; meris nugis aestimauerim; Neostadij tamen ad Lenum, quod nunc Landstrastum appellatur, fortuitus quidam euentus docuit rem esse nimis quam veram, & in hominum per-*

A nciem excogitaram: quando sub annum in fallor 1553. miles quidam probe potus ex pratibus in ciuitatem per Lenpontem sese volutantem vtrem vnum obuium habens, nescio quid antea stomachatus, educto gladio medium disseccans, totam plateam lacte repleuerit: ad eo vt facti rumor per totam ciuitatem dispersus, omnes quotquot essent ciues, rei nouitate obstupescerent, ad spectaculum alliceret: atque id ita factum esse multi fide digni ciues mihi retulere, qui suis oculis ea se vidisse testati sunt. Huc accedit, quod audiuimus Godelam, quondam, Kukers, palam confitentem, vtrem hunc emissitium à se confectum atque emissum fuisse, ac non raro magnam lactis copiam ad se detulisse.

Quis asseueret non licere tales vtres perdere, ne fructum vaccarum perdat armentarij? si vtrem perdere licet, cur non & nondum illum soluere? si nondum, cur non & ollam sublimarem effodere?

3. Probatur, conclusio valida ratione, nulla in hac amotione illicita intercedunt: licita itaque est amotio. Antecedens probatur enumeratione omnium actuum: qui hic reperiuntur, hi actus vel sunt interni animi, vel externi verbi & operis. Animi interni actus sunt tres, primus desiderij, vt sanitas reddatur & cesset nocere dæmon: & ad hunc finem; vt tollatur conuentio malefici & dæmonis de nocendo: & quia hæc pactio dependet à signo, cupere proinde ipsum signum tolli ac destrui, proximus actus est opinionis, siue credulitatis humanæ, quod videlicet opinor seu credo probabiliter, cum sublatione signi pactum cessaturum, & cum pacto noxam, & sic noxa cessante sanationis & cessationis. Verbi externi actus, rogare maleficum, vt signum tollat, & nocere per dæmonem desinat.

Oneris

Operis externus actus est, ipsa signa tollere & destruere. Sed omnes isti actus, siue singulos spectes, siue cunctos simul copulatos, liciti sunt, & superstitionis expertes, licita igitur, & superstitionis expertes, tota hæc amotio cum spe tollendæ noxæ. Maior probatur, quia nihil aliud intercedit in re tota. Minor vero, *de desiderio*: quia licitum, immo & meritorium est desiderare suam & aliorum sanitatem: quare & desiderare impedimentorum ablationem, & mediorem ad id vtilium adhibitionem. Medium verò ad hunc finem, est maleficij cessatio, ad cessationem, medium est causa aliqua cur dæmon velit à noxa inferenda cessare: ad hanc causam auferendam, medium est, infringere pactum, ex quo nocet: & quod, nisi fuisset cum malefico initum, non nocuisset, pacti istius duratio, commensurata est, dæmonis voluntate, ipsius signi durationi, quare medium destructionis pacti, est destructio seu amotio signi: atque ita à primo ad vltimum, destructio signi, est medium necessarium sanitati recuperandæ, quare sicut licitum est sanitatem desiderare: sic & licitum est signi destructionem desiderare. Probatur etiam minor, *de opinione*. quia opinari cessaturum maleficium cessante pacti signo, non est illicitum, nec vanum, non illicitum, quia id fidei nõ repugnat, nec vlla lege prohibitum est, non est vanum, quia nititur rectæ rationis coniecturis, valde enim verisimile est dæmonem tum cessaturum:

primo quia ad nocendum impulsus fuit pacto, quod iam cessat. secundo, quia nihil superest, cur hac in re à malefico honoretur, tertio quia si promissis steterit, maleficum a cæcis sibi deuincies: & plures alluciet, *De spe*, quo-

A que probatur, quia hæc nihil est aliud, quam desiderium boni cum opinione euentus, quare quod merito opinor euenturum mihi bonum, id licite spero: si bonum sit ex rerum numero, quæ licitè desiderantur. Ex his patet de actibus externis, nam quod licet cogitare, licet loqui & quod licet concupiscere, id licet petere, quare si possum desiderare à mago sanitatem, & opinari me ab illo consecuturum, possum etiam ab eodem illam petere: & quia desidero consequi modo licito, possum petere sub tali modo; vt manifestum est. Denique quoad actum externum, res quoque aperta est, actus iste est amotio signi: sed in hac amotione nihil illicitum est, ex parte intentionis, nec ex parte petitionis, vt probatum: ergo nec ex parte executionis, Consequentia probatur, quia executio nihil addit illiciti, nec superstitionis, quia nec ratione intentionis, nec ratione operis, quando scandalum abest: de quo non est quæstio, sed abesse præsupponitur.

Dicunt aduersarij, *ratione operis id fieri*, quia semper sit tacita quædam honoratio, seu inuocatio dæmonis. Quod falsum esse, sic ostenditur, opus illud amotionis signorum: nec est dæmonis inuocatio vel honoratio ex natura rei, vt per se patet: neque etiam ex intentione malefici amouentis, quia non intendit hæc ratione dæmonem honorare vel eum inuocare: sed intendit inuocationem per magum signo posito factam impedire: nec etiam intendit comprobare pactum magi cum dæmone, vel quicquam operari ex illo pacto: nec dæmonem inducere vt illud pactum cum mago teruer, sed solummodo intendit pactum illud nocendi rescindere, & annihili-

lare, neque etiam dici potest esse honoratio, vel inuocatio dæmonis ex pacto aliquo præcedente eius qui petit amoueri, quia iste nihil expresse vel tacite cum dæmone, pactus fuit, ne id quidem vt sublato signo desinat damnum dare: neque etiam ex errore opinionis, quia non tollit idcirco quod putet illis rebus vim inesse sic nocendi, sed quod existimet quamdiu hæc posita manebunt, dæmonem, Deo permittente, nocere posse: & propter pactum cum mago initum nocere velle, & eadem ex causa signo sublato à nocendo desistere velle: quæ omnia docet experientia esse verissima.

Dices fortè, dæmon idcirco nocere desinit, quia sic existimat se honorari. *Respondeo*, etiam si ille putaret se honorari, quamdiu, nec res talis est quæ natura sua honorem tribuat, nec adest vlla intentio honorandi, in eo qui remouet, parum refert: nec propterea dici quis potest dæmonem honorare. Deinde nec verum est idè dæmonem cessare: potius cessat, vt pactum cum Mago seruet, & sic eum sibi deuinciat, & alios alliciat, & alias ob causas, vt dixi.

Probatum conclus. 4. Maleficus male facit ponendo, ergo bene facit tollendo. Respondent non sequi, quia etiam in tollendo est superstitio, propter tacitum pactum, quod tum iterum censetur inire cum diabolo, propterea quia tollit cum spe cessationis. Sed contra: res ipsa sine spe non includit pactum, (verbi gratia, si rusticus vel puer tollat omnino ignarus positum ad nocendum à magis, iste nullum tacitum haberet pactum, vt patet: attamen dæmon cessaret à nocendo, nec spes ista, (vt probatum) per se superstitiosa vel illicita est.

A *Probatum 5.* Licet declinare à loco, vbi positum est signum, spe euitandi malum: licet etiam vitare personas, à quibus quis metuit lædi maleficio, ergo licet etiam remouere signum cum eadem spe. Nec satisfacit solutio negantium consequentiam: eo quod fuga à loco noxio si naturaliter ordinata ad euitationem mali, in quod quis incidere, si eum locum pertransiret: signi autem amotio ad hoc naturaliter nullo modo sit ordinata, nihilo magis quam signi positio ad malum.

B Non, inquam, hoc satisfacit, quia ratiocinantur à naturali causa ad moralem, argumentum verò procedit de eadem causa in vtroque, idè sic confirmo argumentum, si sciam positio veneno aliquo naturali locum esse noxium, licet mihi ab illo declinare, vt effugiam, ergo licebit etiam mihi venenum illud ab illo loco tollere, ne quem amplius lædat. Valet hæc coniectio? progredior, igitur similiter, si scio sublimine positum maleficio, vt quicumque limen illud calcauerit, moriatur: licebit mihi per aliam domus portam egredi & limen vitare: ergo licebit mihi quoque maleficio illud sublimine positum amouere.

C Ommino enim similes sunt hæc consecutiones, nam sicut in priore vtraque res naturaliter ad salutem ordinatur: sic in posteriore vtraque æquali modo moraliter ad eandem ordinatur: & sicut se habent amotio & fuga, naturalem ad causam: sic etiam se habent amotio & fuga, ad causam moralem, quale est signum, idè si rectè argumentamur à fuga causæ naturalis ad eius amotionem, etiam rectè argumentamur à fuga causæ moralis ad eius amotionem: neque in eodem causæ genere vllum discrimen est fugæ &

amotio

amotionis, sicut enim fuga personam remouet à loco noxio, sic & amotio rem remouet ne personæ in loco queat nocere.

5. Licet maleficos de medio tollere, ea spe & desiderio, ne hominibus amplius noceant per diabolum, vt eius viua instrumenta: licet ergo signa quoque maleficorum tollere, ne per diabolum illa amplius noceant, vt eius muta & fictitia instrumenta moralia, sicut enim tubæ, & tympana, & vexilla in bello, sunt quædam moralia instrumenta militiæ, sic huiusmodi signa sunt quædam quasi nequitia & malitiæ diabolicæ instrumenta, non operantia, sed eam ad operandum excitantia. Huic argumento nondum responsum est, ab ijs qui contra sentiunt. Nam quod vim argumenti & similitudinis positam putant, in ratione tantum signi, & maleficos dicant non occidi, vt signa diaboli: hoc est, *παπεργον*.

6. Posuit maleficus signum? quid est facturus? si tollit secundum vos peccat: si non tollit, verè & grauius peccat? quia relinquendo manet causa damni proximorum, perplexus ergo futurus est, quem contra religionem, iustitiamve peccare necesse. Respondent, relinquere debere & pœnitere, nec peccatum relinquendo, quia relinquendo non est causa nocenti, sed eius causa fuit ponendo illud & paciscendo cum dæmone. Retinere ergo illi, vt pœnitens Deum oret, reprimere dignetur diaboli potestatem. Contra: sicut peccauit causam dando, cur inciperet alius lædi: sic adhuc causam dando, cur pergat eum diabolus lædere: sicut positio vel ligatio fuit causa inchoati damni: sic relictio ligaminis siue non amotio, cau-

A sa est continuati damni, ergo sicut tenebatur impedire, vel tollere causam ne damnum inciperet inferri, sic etiam tenetur ne illud vterius proferat, vel diutius duret. Quod sane clarissimum est in maleficio, quod effectum habet sapius renascentem, verbi gratia, maleficio sterilitatis primo anno nocuit tot equis, tot vaccis &c. 2. anno iterum nocebit forte pluribus, ergo si tenebatur impedire damnum primi anni, cur non & sequentis? Confirmatur, in foro exteriore damnaretur ad omnia damna illata restituenda, quamdiu illa inferrentur, & tam de damnis annorum sequentium quam primi: si diuersis actionibus ageretur de singulorum annorum damnis, sed hoc, quia peccat contra iustitiam, & est efficax adhuc causa damni. Ergo in foro exteriore adhuc peccat: quia tenetur facere, quod probabile illum est posse facere, probabile autem est illum tum tollere debere, vt proximi damnum impediatur, quia communis hæc est sententia optimis fulta rationibus, vt ostendimus.

D 7. Si duo reges sic inter se paciscantur, vt columna seu turricula quapiam stante erecta, ipsi sibi mutuo auxilium ferant contra tertium regem aliquem: si tertius iste pacti gnarus, vt illi desinant ipsum bello intestare, turriculam illam vel columnam deiiciat, & demoliatur: non dicetur ille tertius propterea consentire in illorum fœdus, neque cum ipsis, vel eorum altero: qui fortassis illum admonuisset: pactum vel societatem inire. Igitur nec maleficiatus dicendus est cum malefico vel dæmone propterea societatem inire, quia destruit signum, quod illi depacti, vt à nocendo

cesset dæmon. Nec quicquam habet
verisimilitudinis quod respondent, et
iam hunc tertium cum prioribus pactum
inire, quia beneficium ab illis ex-
spectat. Nec enim vsquam vel apud
Iurisconf. vel apud Theologos, inue-
nias talem pacti vel societatis ineunda
formulam aut genus, deinde destruen-
do turriculam illam, potius pactum
prius inter duos in initum soluit, ad im-
pleto termino: sic etiam remoto signo
pactum dæmonis & magi conditione
sublata expirat. soluit ergo iste remo-
uens pactum alienum, nec ipse nouum
init.

8. Si quis cum hoste foret pactus, vt
suspensa de muro flammula candida,
accurrat, & portam occupet, vrbeque
potiatur: & tertius quispiam ciuium
hoc resciscat: nonne tollere licebit,
immo merebitur si fecerit? quis quæ-
sio illum proditoribus consentire di-
cat? rectè æstimantes iudicabunt, eum
pacta conuenta eorum non stabiliuisse
neque approbasse, sed abominatum ea
rescidiisse. Cur igitur non eadem ratio-
ne & iure, qui rescuiuit pactum dæmo-
nis & malefici de olla in familiæ perni-
ciam defossa: poterit illam tollere, &
tollendo censendus erit ab eorum pactu
alieno? an cum ille non consen-
tiat proditori, qui illam destruit: huic
censendus consentire maleficio, qui il-
lud destruit?

Denique vt semel finiam (tædet e-
nim tam multas soli faces admouere)
licet omnes conatus similes dæmoni
impedire, si incantamenti aliquis dæ-
monem ad nocendum inuitaret, rectè
faceret, qui murmuranti os pugno ob-
tureret, si per scripturam & caracte-
res id conaretur, laude dignus esset,
qui dissiparet & conscinderet mem-
branulas, cur non idem ius conceditur

A in signis positis, quæ similiter dæmo-
nem ad nocendum pelliciunt: sicut er-
go possunt impedire, ne verbis vel
characteribus magus consequatur ef-
fectum à dæmone, potero etiam signi
alterius destructione id ipsum perli-
cere.

§. III. Restat respondeamus obie-
ctionibus, quæ quod multæ sunt, &
prolixæ, cogent nos etiam, quam vel-
lemus, esse prolixiores.

B Ad 1. *Respond.* non fieri sufficien-
tem enumerationem partium, sanitas
enim expectatur à morali causa, nem-
pe amotione signi, sicut in exemplo
proditorum (de quo egi in probatio-
ne. 8.) liberatio non expectatur à
Deo, vel Sanctis, vel natura, vel pro-
ditoribus immediate, sed à signi amo-
tione. Sed urgent, saltem mediate ex-
spectatur à proditoribus, ergo & sani-
tas hic mediate expectatur à dæmo-
ne. Sed hoc est superstitiosum quia est

C perinde facere ac si dicas: præsta quod
promisisti, pactus est amoto signo te
cessaturum esse amoueo: teneris ces-
sare. *Respond.* negando minorem, &
eius probationem, immo perinde est
facere, ac si diceres: pactum tuum
primum cum malefico conuentum
extinguo: signum quod nocumento
inferendo præstitisti comminuo, &
perdo: non est quod noceas, amplius
nocere non teneris. Si pergant instare,
saltem expectat mediate sanitatem à
dæmone. *Respond.* expectat, non à
positiua aliqua dæmonis actione, sed à
priuatione actionis eius siue à cessatio-
ne, non enim expectat, vt dæmon ali-
quid faciat, sed vt desinat facere, ad fa-
ciendum alliciebatur signo, sperat illo
sublato, non allectum amplius, desitu-
rum nocere: vt amoto obiecto concu-
piscibili, quis vt plurimū desinit concu-
piscere. Effectū ergo expectat priua-

D

E

tium:

tium; quem à dæmone non est illicitum expectare, alioqui non liceret expectare dæmonis fugam ex oblesso, cessationem à tentatione, & similia, ad quæ pie vtimur aquæ lustralis asperione, reliquiarumque & agni Dei gestatione. Duntaxat ergo illicitum est, expectare effectum priuatiuum à dæmone, vi alicuius pacti conuenti cum dæmone: quod hic nullum est.

Ad 2. Negatur antecedens: ad probationem eius dico: si maleficus vnicum fecerat pactum? tollens, miscet se destructioni illius pacti, non conseruationi, quia destruendo signum, facit vt pactum cesset, si duo fecerat pacta, non immiscet se secundo, quia non petit, vt diabolus vi secundi pacti delinat; sed destruendo primum pactum, virtualiter (vt dici solet) etiam destruit secundum, de quo non cogitat. si vi secundi pacti vellet dæmonem cessare, valeret argumentum. *vide 3. Notabile.*

Ad 3. Dico & Antecedens, & probationem eius dissentire à vero, nam tollere signum, tantum est protestari, quod diabolus; qui Dei permissione, & non aliter, potest nocere, speretur non nociturus amplius, postquam causa ad nocendum alliciens (nempe signi positio) cessauerit: item quod aliquando stet pactis conuentis, non quia sit verax aut fidelis; sed quia censet hoc sibi esse vtile ad homines decipiendos, sicut solent decoctores minus debitum exsoluere, vt in grandiori summâ creditoris simplicitas abutantur.

Ad 4. Respond. Minorem falsam esse, non enim declinat ad Magos, vt Magi sunt; sed vt sunt homines gnari eius rei, quæ vel ad specum vel auditu potuit resciri, & petitur ab ijs, non vt ex magica operentur arte: sed vt id fa-

A ciant, quod quiuus rusticus & idiotota posset facere; saltem quod ipsi, sine vilo nouo cum dæmone pacto, possunt perficere, & perficere tenentur, ad comodum proximi. Potest ergo distinguui maior, scriptura enim vetat declinare ad magos, tanquam ad magos: non vero tanquam ad alios homines à quibus illicitum auxilium quis expectat.

B *Ad 5. Respon.* Aliter timeri Deum solum, aliter timeri creaturas. Deus solus timeri debet; vt omnipotens & auctor omnium, & quem nemo potest impedire, nec voluntati eius potest resistere: creaturæ timentur tanquam quæ Dei permissione nocere valent; & quia malignæ sunt etiam interdum volunt: & sic Scriptura sacra non prohibet eas timeri, dæmon verò inter omnes creaturas hoc timore maximè timendus, quia & cunctis hominibus animantibusque potentior est, & nobis maximè infestus, & exigentibus peccatis nostris sapissimè permittitur à Deo nos grauius ledere, vt constat de Iob, maritis Saræ, Achab rege, & alijs. Nonne licet timere sicarios, latrones, calumniatores? nonne licet fugere à domo dæmonibus infestâ? cur talis fugit, nisi quia dæmones timet? tolle timorem, fugam sistet.

C *Ad 6.* Negatur antecedens, impropria enim & falsâ locutio est, amotio signi est signum, non magis certè quàm homicidij actio est homo, sicut enim homo erat ante occisionem; sic signum erat ante amotionem, nec iuuat comparatio illa baptismi, nam nec ipsa aqua est Sacramentum, nec ipsa ablutio: sed Sacramentum, fit quando ad elementum, verbum cum actione accedit, ablutio materia proxima Sacramenti est, non Sacramentum: Dicis: saltem est ali-

Eeeee 3

quid na-

quid pacti. *Respond.* sicut ablutio non est aliquid Sacramenti, nisi abluens intendat baptizare: sic, nisi ponens vel tollens signum, intendat ex condicto ponere vel tollere, nunquam positio vel sublatio erunt aliquid pacti.

Ad 7. Negatur consequentia, idcirco enim delinit nocere signo sublato, non quia per hanc amotionem grauius vulnus infligit animæ tollentis: sed quia sperat vel maleficum in alium fortem (vt vocant) translaturum, cum nouo suo lucro; vel sic plures se sibi adiuncturum, videntes, eum promissis stare. Præterea esto hoc diabolus speraret; sæpè spes illum fallit, & vnde compendium expectabat, dispendium patitur. Denique D. Leonis illa auctoritas parum aptè adducitur, cessatio enim à nocendo beneficium non est diaboli, sed Dei & hominis tollentis signum: sicut non est beneficium proditoris, quando ablato signo desistit à prodicione peragenda: neque qui tollit villo modo dici potest, hoc beneficium à proditore expectare.

Ad 8. Concessa maiore, quæ verissima est; Negatur Min. omnino enim hoc volunt, quotquot nobiscum sentiunt; & quia hoc ex eorum doctrina sequebatur, ideo non dixerunt expresse. Neque enim putabant quemquam adeo moralium rerum fore rudem, vt negaret, primò ipsum maleficum, qui posuit teneri signum, quod nouit, tollere; si nequit aliter damnum impedire: sicut, qui diabolo inuocato verbis vel scriptis nocet, tenetur cessare ab hac inuocatione, non tantum quia superstitiosa est inuocatio, sed etiam quia proximo perniciosa est. Nec villo modo puto tolerabilem esse contrariam sententiam in praxi, nec absoluendum

A qui nollet cessare, vel signum tollere, sicut non est absoluendus, qui alicubi malleolos reposuisset, incendium sparsuros, nisi illos velit amouere. Eadem namque ratio est, sicut malleoli efficaciter sunt nocituri vi naturali; sic etiam signa hæc æque efficaciter nocitura sunt vi morali, siue vi pacti conuenti. Neque hic quærendum, quia vi damnum inferendum, sed an inferendum? & æque iniusta est illatio per vnã vim, atque per alteram, sicut malleolis inest vis ignea; sic censetur signis alligata vis siue actiuitas diaboli, multo promptior & fortior ad nocendum. Si verò tenetur maleficus tollere, quod posuit ex lege iustitiæ; tenebitur secundo alius, qui positum rescuerit, id tollere, saltem ex lege charitatis.

Ad 9. *Respond.* id, si fiat seruatis circumstantijs, quas requisiui, *supr. lib. 5.* nec superstitiosè, nec impudenter; sed sapienter & honeste fieri, à iudicibus etiam maximè timoratis. Victoria verò loquitur de expulsionem dæmonis ex energumeno, quod non facit ad rem: vt nec totum argumentum, quia depilatio illa non est ablatio signi, cum pili non sint signa maleficii, sed latibula.

D *10.* *Argum.* Multis peccat, primò quod contradicit sententiæ, quàm eo nituntur probare. Nam si defensores contrariæ sententiæ censent; non esse licitam, amotionem vllam, vt eos sentire patet; ex argumento sequitur, duntaxat aliquam esse illicitam, nempe destinatam huiusmodi dæmonijs eijciendis: quia tales dæmones aliter eijci nequeunt. Si ergo eijci possent per amotionem, licita foret amotio, iam non ergo omnis amotio illicita foret. Sin verò dicam, se non contendere v-

niuer-

niuersalem negationem: (Nullam amotionem signi cum spe cessationis esse illicitam:) sequitur non omnem amotionem huiusmodi esse superstitionis; quod ceteris omnibus argumentis suis probare nitentur, repugnat ergo hoc argumentum alijs omnibus, quia subuertit commune ceterorum fundamentum. Secundò sensus verborum Christi non est, non aliter ei rei, sed non aliter rectè rei rei efficaciter. Nam Apostoli non querebantur se vfos malis medijs, quod non est credendum; sed se eijcere non potuisse, conatus enim Apostolorum non fuerat illicitus, sed fuerat irritus, & hoc scire volebant; cur efficax non fuisset in hoc energumeno, quemadmodum solebat esse in ceteris, responsum illis, id accidisse, quod orationem & ieiunium non adhibuissent; quæ talium dæmoniorum pessimorum, quorum inueterata possessio generi expellendo necessaria ipsis erant. Tertio dæmon non exit ad signi amotionem, nisi quando erat ingressus ad signi positionem: quod Deus nonnunquam permittit, Quando autem propter hominis peccata Deus permittit operâ malefici dæmonem ingredi; tunc licebit signum tollere, non secus ac in reliquis maleficijs. Quarto plus probat argumentum quam opus sit: imò & illud; (si valeret) nec exorcismis ei licite possessi tantum ieiunio & oratione tales licet eijcere. Denique non potest nobis constare, an ex hoc genere sit dæmon, an ex alio: ideo, durante hoc dubio, licebit signum amouere.

Ad 11. Dico exemplum illud S. Hilarij duntaxat probare, quod, qui Hilarij sanctitate & dolo miraculorum sunt similes; aut quando aliquod scandali, vel superstitionis agenda

A subest periculum; debeant id facere, quod ad maiorem Dei gloriam tendit; ut est dæmonem oratione eijcere: non verò probat, quod eo periculo cessante, aut quando quis non est, certus de dono miraculorum (ut hodie certi nulli sunt, in his partibus, vbi fides propagata) non liceat illi uti remedio, quod ad manum est, & experientia frequenti comprobatum nouit. Metuebat autem D. Hilario, non, ne dæmon hoc pacto solitis incantationibus recederet, sed ne populo videretur ijs recessisse: imò neque hoc simpliciter verebatur, sed alternatiuè; vel hoc, vel ne videretur ipse dictis diaboli fidem habuisse; qui negabat aliter se expelli posse, nisi signo prius ablato: Quod falsum erat, ut D. Hilario ostendit, & quia sponte ingressus, sponte remanebat; nec eum cogendi vim vllam magica illa signa obtinebant.

Ad 2. Respondeo verè hoc argumentum esse nullum, & ab auctoritate negata, non ab auctoritate negante. Nam si vel Hincmarus (cuius ille est Canon) vel alij patres censuissent, hoc remediū esse illicitum, non fuissent contenti silentio prætermittere, quod vsu sciebant frequentissimum: sed disertè prohibuissent, ut solent similia, sic enim quia purgationes per monomachiam, per ferrum candens & similes, erant in frequēti vsu: ideo expressè illas prohibuerunt, summaque semper Ecclesiæ cura fuit, vilitas superstitiones nominatim damnare. Inter licita verò remedia non meminerunt amotionis: quia de remedijs Ecclesiasticis & diuinis agebant; istud autem est merè humane remedium, & quod ipsa ratio ac natura vnumquemque docet, nam & bruti norunt abijcere & repellere, quæ noxia sibi nocere.

Ad 3. Respondeo diabolum signis non esse alligatū naturaliter: sed mortaliter ex hypothesi, quod vult stare pactis conuentis. Nec verum est semper illum posse nocere sine signis magicis, saepe enim, immò ordinariè Deus permittit illum multa facere per maleficos, & signa malefica: quæ non permittit illum immediatè facere, unde non est absurdum existimare, quod quando Deus illum permisit, mediante signo nocere: non possit dæmon nocere signo destructo, quia Deus tunc videtur permissionem suam sic limitasse. Non tamen hinc sequitur Deum habere pactum cum dæmone, sicut nec Rex pactum haberet cum rebellibus, si ijs non resisteret cum filio suo rebellionem mouentibus, præsumptio quidem aliqua hinc in foro, vt vocant, fori nasceretur reuerà tamen pactum conuentum propterea nullum intercederet, sed permissio duntaxat & conuenientia probaretur.

¶ Vid. relect. de Magia circa fin.

Ad ult. Respond. Negatur consequentia, quia nemo scit, an Deus diabolo permiserit nocere post signum destructum: & quia possumus ex frequenti experientia colligere, vel Deum id ei non permisisse, vel saltem reliquisse eius arbitrio, vt adhuc noceat, vel cesset nocere, si velit: idèd possumus hoc experiri & signum amouere. Recurrendum quidem ad Deum; sed non propterea prohibita sunt remedia humana. Porro ex his patet, quod cum signū amotum est, vtile etiam & licitum esse, illud comburere maximè igne benedicto, & in loco sacro: nam hæc loci & ignis circumstantia etiam dæmoni est odiosa & metuenda. Addit Zachar. vicecomes in actis exorcistæ complemento pag. 76. simul cum signo comburenda aliqua benedicta, vt ramos oliuarum, thus, hypericon, &c. quod

A mihi non probatur, vt superfluum, & de superstitione suspectum, cum sufficiat signi amotio & destructio.

SECTIO II.

De remedijs naturalibus contra maleficia. §. 1.



B **M** VLT A de his more suo Grillandus quæst. 2. a. num. 3. in cuius sententia quid vitandum docebunt sequentia. Theologi quidam vim omnem adimunt naturalibus medicamentis: medici plerique magnam nimis tribuunt; & quædam memorant, vt naturalia, quæ quibusdam queant esse suspecta, mihi pronuntiandum vetus N. L. de multis. Non assentior ijs, qui omnem omnino efficientiam rebus corporatis in dæmones tollunt; nec ijs etiam, qui directam vllam vim naturalem in dæmones concedunt, vt videntur concedere Faustus, Petr. Gregorius & alij: a sed ijs assentior, qui secundariam & indirectam tantum tribuunt, quæ sententia peritiorum medicorum & Theologorum fuit, vt Paris. lib. de vniuers. Dionys. Carthusianus in Tob. c. 8. Francisc. Victor. relect. de Magia quæst. 6. Zacharia vicecomitis d. operis part. 1. tract. de remedijs corporalibus. Lulli libro 2. de quinta essent. Leuini Lemnij lib. 2. de occult. natur. mir. Francisc. Vales. cap. 28. sacr. Philos. Bapt. Codronchi. Casalpini & aliorum mox citandorum: nulla enim naturalis corporeæ rei vis est, quæ dæmoni possit præualere, aut directè in illum aliquid agere; cui nulla super terram potestas est, quæ comparetur: qui factus est, vt nullum timeat. teste sacrâ Scripturâ. b Sed concurrente naturali, agente causâ supernaturali, Deo vel Angelo; agere res corporea potest

¶ Faustus
Ennetus
Pet. Gregorius
in Syn.
tur. Hist.
Georg.
Problema.

¶ Iob.
v. 24.

potest